

EXERCITATIONES  
DE INSTITUTIONIBUS  
LINGUÆ GRÆCÆ,  
AC NOVI TESTAMENTI,  
LUCIANI SOMNII, ET CEBETIS TABULÆ  
INTERPRETATIONE,

QUAS

IN REGIO ARCHIGIMN. MATRIT.  
PUBLICO EXAMINI OFFERUNT

EMMANUEL FERNANDEZ VILLEGAS,  
JOANNES ANTONIUS GONZALEZ,

PATRONO

DOCTORE J. C. JOSEPHO OROMÍ

IN EODEM ARCHIGIMN. GRÆCÆ LINGUÆ REGIO PROFESSORE.

*Die 13 Julii, Vespere hora 5.*



MATRITI. MDCCLXXX.

---

Apud JOACHIMUM IBARRA S. C. R. M. Typogr.

---

*Superiorum permissu.*



EXERCITATIONES

DE INSTITUTIONIBUS

LINGUAE GRAECAE

AC NOMI TESTAMENTI

SECUNDI ROMANI ET ETHIOPICI TABULAE

INTERPRETATIONE

1742

IN REGIO ARCHIEPISCOPI MATRIT.

PUBICO ETIAMI OPERANTE

FRANCISCO XAVIERO CALLEJO

COMPOSITO ET IMPRESSO

ATROCO

IN REGIO ARCHIEPISCOPI

IN REGIO ARCHIEPISCOPI MATRIT.

Die 15 Julii, 1742 hora 8.




MATRIT. MEDICIN.

AD PUBLIUM LIBRARIUM, S. C. R. M. P. 1742.

Superiorum permissu.





**U**M in more positum sit apud plerosque, ut linguæ cuius elementa tradunt, dignitatem, utilitatemque commendent; Græcæ, quæ cæteras his, aliisque dotibus facilè vincit, meritissimis suis laudibus exornandæ hic locus esset amplissimus. Sed cum eius et utilitas, et dignitas extra omnis dubitationis aleam posita sit, ita ut, qui sanum habeat sinciput diffiteatur nemo, tanquam si hoc sit in meridiana luce cæcutire; longiorem hac de re sermonem instituire haud operæ pretium esse arbitror. Atque illud potius mirandum mihi videtur, atque exquirendum, qui communis hæc fere nec ab hesterno querela sit, quod licet crebris in publicum adhortationibus, Viri Clari ab his litteris, gratiam Græcæ linguæ, necessitatemque earum cum ingenti fructu coniunctam *κερτομιοις ἐπέεσσιν* studiosæ iuventutis



animis inculcarint , nihilòminus surdæ fere hactenus pulsantur aures. Nam cum plerique curriculum istud Græcanicum ita ingrediantur , ut illud levi cursu quodammodo delibare possint , vix ipsis carceribus egressi , aut longitudine spatii perterriti , aut ignaviæ suæ sibi optimè conscii pedem celeriter referunt , aut si paulo ulterius progrediuntur tam inconsulto , et præcipiti devolvuntur impetu , ut vel in medio defatigata sistunt vestigia , vel in ipso etiam metæ flexu disruptis rotis turpiter , et miserè concidunt. Hinc illi pro palma dedecus nacti studium istud quidem plane non abiiciunt , sed cum id quod voluisse eos constat iam quoque non potuisse constet , id solum quod potuerunt volunt , et amplectuntur , reliquum non solum aspernantur , sed etiam insectantur asperrimè.

Sed si recte calculum posui , plerosque hactenus ab his litteris deterruisse existimo , illam in linguæ huius cognitionem penetrandi difficultatis persuasionem , quæ ut spectrum terrificum incipientium adeo fere hominum mentem præoccupavit , ut ab hoc præstantissimo studio tamquam à re confitentibus omnibus , improbi certe laboris longe dis-



(3)

traxerint : quam quidem ut falsissimam esse constanter edico, si aut Themata Græcæ linguæ, horumque derivata perpendamus, aut ipsum idioma huius linguæ, atque genium, quàmque ille facilem, ac succintam præceptorum nullis fere anomaliis laborantium compagem non magis postulet, quam admittat: ita suam habere rationem, ac causas non plane abnuerim, si quis absque perspicua, et planissimum tenorem servanti præceptorum serie græca studia aggrediatur. Aliqui vero qui de hac re disputarunt, ut ego suspicor, aut minus methodici rem non bene digesserunt usque ad regulas satis fixas; sed pene omnia ita mobilia sunt, ut arenaria Arabiæ, aut nimis extitere superstitiosi, quod et ipsorum morbus est perantiquus.

Hinc equidem nati sunt tales labyrinthi in verborum anomaliis, lectionis variatione, et thematis investigatione, ut homines etiam studio ferrei, ingenio et memoria valentes, desperent de re, dum paucula, quæ laboriose didicerunt: vident in lineis subsequentibus illico deturbata. Varietas efferendi, et sonandi syllabas suas alter nunc hac methodo, alter altera utens, hic Græcam linguam



(4)

novo pronunciandi modo, alius prisco exprimens; sed hæc cuique nationi ita est propria, ut multo melius in linguam Græcam mortuam et vetustissimam refundatur. Ego hic contraham vela, ne in immensarum rerum Oceano cum cymbula deprehensus, naufragio pericliter. Hoc in causa est, ut toto pectore totisque viribus incumbam in lucem prodere grammaticam Græcam, in qua ea facilitate, tamque brevi ac perspicuo tenore præcepta tradantur, quam tradi commode queant. Cum enim pressa quadam, ac rotunda compositione informari præcepta debeant, quò non tam è nostro quam suo ingenio, ipsa quasi dictante linguæ natura, fluxisse videantur, illaque conceptus simplicitate tanto fidelius obhæreant memoriæ, quo eam immigrant acrius; (id potissimum curavi, ut patebit ex horum cum hac nostra collatione) et præterea res affines continenti serie, eodemque loco pertractari merito debeant; quo naturalis alicujus nexus subsidium memoriæ præstent, quandoquidem longe perfectius ab omni parte perspiciamus, quæ sub uno obtutu posita sunt, quam quæ partes aliquas hic, alias alibi colli-



gunt. Hæc duo præcipua capita præ oculis habuimus.

Hac de methodo emunctioris naris Viri rectissime solliciti fuerunt : nempe voces primigeniæ cum derivatis jungere, qua viâ tenaciter memoriæ adhærebunt. Quam facile enim puer memoriæ imprimat græca vocabula si e. g. primitivæ voci ἄγνος addat derivata ἀγνώσ ἀγνότησ ἀγνεΐα ἀγνίζω ἀγνέω ἀγνισμωσ res ipsa docet, deinde idiomatum convenientiam, et relationem palam facere. Nam profecto ingenium non invitis natum gratiis summa cum voluptate easdem discet, si illarum convenientiam, et facilitatem videat, eoque ipso non solum latina vocabula e. g. consolari, consolatio, consolator, consolabilis, Gallicis his : consoler, consolation, consolateur, consolable, expressas repetere, sed ipsas etiam phrases, formulas, ac sententias per versiones græcas, gallicas, et italicas in succum quasi, et sanguinem, ut ita loquar, vertere queat. Quam enim firmiter adhæreat formula latina : tu eligis lilia Συ ἐκλέγεις λείρια. Alius plicat folia Ἄλλοσ πλέχει φυλλα. Ego aro agrum Ἐγῶ ἀρω αγρον. Exite gimnasio Ἐξίτε γυμνασιου. Id quod per omnes



propemodum linguas ostensuri essemus, nisi temporis angustia manu excuteret calamum. Quamquidem mirabilem linguarum convenientiam testatur Cicero lib. 1. de Oratore. Postea mihi placuit, eoque sum usus adolescens, ut summorum Oratorum græcas orationes explicarem, quibus lectis hoc assequerbar, ut cum ea, quæ legeram græcè, latinè redderem non solum optimis verbis uterer, et tamen usitatis, sed etiam exprimerent quædam verba imitando, quæ nova nostris essent dummodo essent idonea. Quæ quidem admonitiones, et observationes auro sunt magis aureæ, et admodum memorabiles, et ex iis loculentissime ipsoque sole clarius apparet, quæ dixi de ejus mira facilitate.

Quot juvenum sunt, quibus florentissima ætas, temporisque pars major in regulis Grammaticæ, earumque exemplis, ac rationibus propemodum infinitis ediscendis consumi solet, quas non sine multo labore memoriæ inculcatas, certoque ordine recitatas intelligunt. Contra si bonæ fidei Præceptor tenellæ, rudique ætati lingua vernacula ex paucis Grammaticæ regulis, et via qua pos-



sit facillima , præcepta Grammaticæ ins-  
 tillet , iisque probe intellectis , applicet sta-  
 tim probatum Scriptorem , majores profec-  
 to progressus de discipulo suo poterit polli-  
 ceri. Expertus hoc scribo nam crebro usu  
 ipse didici , quantum momenti in methodi-  
 ca informatione sit situm. Subscribent mihi  
 facile omnes , qui hujus rei periculum face-  
 re velint , et ipsa *αυτοψία* demonstrabit , pau-  
 lo attentius consideratis , et breve temporis  
 spatium in hoc curriculo græcanico impen-  
 sum ab iis , qui se huic publico examini ex-  
 ponunt , et varia studia tum philosophica,  
 tum mathematica , in quibus sunt distracti,  
 præsentibus suis oculis lustrent , quomodo  
 vocum analysim exponant , et vocabula tam  
 regularia , quam anomalia in Luciani som-  
 no , Ceбетis Tabula , et Novo Testamento  
 occurrentia , et hoc præsertim in Lucæ  
 Evangelio , et Actis Apostolorum prout  
 Hebraismum , et Arabismum minus inqui-  
 natum , loculentissime resolvant. De se-  
 quentibus percontanti libentissime respon-  
 debunt , et filo græcanico ulterius progred-  
 dientur , cum necessitatem illud abrumpendi  
 tempus non imposuerit.



## I.

*De litteris, et diphthongis.*

Litterarum figuram, nomen, prolationem, earum divisionem, vocalium multiplicem connexionem, ex qua diphthongi constituuntur, et cognationem, qua aliæ in alias commutantur, levioribus licet, interroganti explanabimus.

## II.

*De Græcorum spiritibus, et accentibus, itemque de apostropho.*

Quo autem spiritu, accentive, quævis dictio insigniatur usu potius, et observatione, quam præceptis addiscitur. Quare ad minima quæque enucleanda descendere nostri muneris non esse quilibet æquus iudex facile concedet. Sed de his aliqua si interrogemur, exponere haud gravabimur.



## III.

*De partibus orationis, ac primo de articulis, et nominibus.*

Articulis, et nominibus accidunt γένος, ἀριθμός, πτώσις de quibus omnibus fusè copioseque disserere parati sumus. Declinationum multiplices formas, contractorum, et heteroclitorum, quæ dicuntur, varietates, atque adjectivorum terminationes, comparativa tandem, et superlativa, cum regularia, tum irregularia curiose rimabimur.

## IV.

*De Verbis.*

Post nomina verba ordine sequuntur, quæ aut barytona sunt, aut contracta, sive circumflexa, et ex his quæ deducuntur in  $\mu$ , ideoque verba in  $\mu$  cognominantur. In his quatuor litteræ sunt sedulo observandæ. Prima nimirum, penultima, characteristicæ, et ultima. De singulis tamen nobis agendum est, et quod in unaquaque scitu necessarium sit, sciscitanti explicabimus. Adnotabimus



præterea in quibus circumflexa, et in  $\mu$  à baritonis dissideant. Deinde vero brevissimas quasdam regulas proponemus, quibus circumflexorum contractiones facillime percipiuntur. Ac demum, si lubet, et vacat, aliqua exempla in trutinam revocabimus, et de præpositionibus, cæterisque partibus orationis intactum nihil relinquemus.





Fran<sup>co</sup> Gordillo Sculp





